e-codices

Rempub. o sempiternam Romani Imperii gloriam, ô perenne decus!
Quis Urbem sane non perpetuo aeternaturam, perpetuo in splen-
dore duraturam asserat? Sed reprimo me certo eadem Roma esset
semper, si Censorum, aliorumque cana providentia uteretur semper,
annon videtis Caesarem sibi uni omnia arrogare? abrogari sub-
unos? Censores non iam oberrare plateas, sed aliis iis substitutos
frequentare popinas? non scrutari angulos domorum, ut illi,
sed infringere occulta tabernarum, non discutere civium facultates
ut afflictis opem ferant, aut augeant, sed inquirere fortunas, ut
vi, vel fraude rapiant. non denique flagitiosos debito plectere sup-
plicio, sed amicos in publico peccantes collaudare, inimicos
ne occulto quidem parum quid peccantes arguere, et virga notare.
Ruit ergo et Roma, ruit infelix respub. et quia sapientissi-
morum abiecit Censorum providentiam, se in vastam coniecit mi-
seriarum voraginem. sic enim. navis ablato gubernaculo tempe-
statibus diu agitata fluctibus demum sepelitur, sic pernix aquila
pennarum destituta subsidio, summa intueri, terramque, altiss-
imas alioquin nata oberrare plagas, cogitur, sic ferocissi-
mus ferarum domitor Leo pervagari amissa, rectore illo,
fortitudinisque clava, cauda, minimarum avium pabulum
efficitur. Stupeo AA. vehementerque horreo, conturbatam sentio
tam immani ignaviae vicissitudinis turbine mentis meae aura.
~~At~~ quid conturbor? quid commoveor? cum eos mihi videam
praesentes AA. qui et mecum quod contendo sentiant, et pestem
sane nulli non rei exitiosam plusquam Vatiniano prosequan-
tur odio. Itaque quid in sublimiora possit videamus.
In ipsa Divina ~~Hominis~~ particula, in ipsa Divinae mentis sede
compagisque corporeae gubernatrice eadem anima ius dicere

License: CC-BY-NC – Zürich, Zentralbibliothek, Ms. D 147, f. f.%2084v – Collection of oratory practice pieces in Latin by novices at the monastery of St. Gall, 1660 (http://www.e-codices.ch/en/zbz/D0147/f.%2084v)